

Aschivardus baro.

Vaaram marescalcus.

Jozulinus frater ejus.

Levonus de Biulum.

De fratribus hospitalis: Frater Isembardus.

Frater Feraldus de Baras, castellanus Selephii.

Frater Bermundus de Luzenzone.

Frater Petrus Arez.

Frater Albertus, preceptor Antiochie.

Frater Willelmus, cappellanus domini magistri.

Frater Raimundus de Stella.

Frater Hugo de Momolena.

Factum est autem hoc privilegium per manum magistri Bovonis, latini cancellarii domini regis apud Tarsum, Incarnati Verbi anno MCCXIV, nono kal. Maii.

## II.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ego Leo, Dei gratia rex Armenie, notum facio omnibus hominibus presentibus et futuris, quod ad preces meas assiduas, dominus Frater Guarinus de Monte Acuto, venerabilis Magister sancte domus Hospitalis Iherosolimitani accommodavit mihi viginti millia bisantiorum sarracenatorum ad pondus Accon, pro supplendo matrimonio dilecte mee filie, quam tradidi in uxorem illustri regi Iherosolimitano. Unde apign[or]avi eidem magistro et universis fratribus ejusdem domus totam terram *Giguerii* et casalia in eadem sita, cum redditibus et proventibus suis, que mea sunt et fidelium baronum ac aliorum bominum meorum; inprimis videlicet: *Abaessa, Agnyas, Nigrinum, Lacrat, Iugmarzeban, Gardessiam, Iucuteman, Iugmelic, Keniz*, et etiam portus de Calamella et de toto *Giguerio*, et tablægium et omnes dricturas terre et maris, tam lignorum quam aliarum rerum venalium que per totum *Giguerium* vendentur vel ementur, secundum consuetudinem loci illius, cum introitibus et exitibus suis et omnibus sibi de jure pertinentibus, a modo ad duos annos futuros; et si infra vel usque ad pretaxatum terminum, viginti millia bisantiorum predictorum persolvero, apign[or]atio dicta ad meam redibit proprietatem, quitta et soluta. Quod si usque ad predictum terminum,